




COMITATUS hic VValdecensis partem capit Hassiæ, eamque frugiferam, & varijs ac permultis fluuijs irriguam, quorum præcipuus est ac famosissimus qui Edrus appellatur, ipsusque piscosus admodum est. quin & aurifer esse prædicatur. post hunc autem Dimilus, Tuistius atque Aris, quos Urbis sequitur atque Ithrus. Vini ac frumenti ferax est hæc regio. Habet & argenti metalli argenti viui, plumbi & aluminis fodinas. Loca eius celebriora sunt vrbs Waldect, cum arce in ea sita, quæ metropolis est regionis, vnde nomen suum comitatus adeptus est. post hanc Altinchufium. Dudinchufiū, vrbs Landauia cum adiuncta arce, ac ciuitas Mergerhusia, quæ similiter arce firmata est & decorata. in qua etiam Comitum sedes esse solet, duobus à Valdecchia miliaribus distans hinc & Rhodena vrbs cum arce sua, cuius venationibus crebris celebre est territorium. VVetrebürgum arx est, loco admodum amœno sita, inter Tuistium videlicet & Arim fluuios. Vildungia vrbs est, Meridiem versus vnico miliari distans à VValdecchia; neque veteri tantum nouoque discreta nomine, sed situ etiam atque loco. Apud eandem urbem multi sunt metallici, fodineque permultæ, ex quibus magna vis auri, metalli ac ferri quotidie eruitur. fontes etiam acidos aliquot vicinia ista habet. præstantissima quoque cereuisia VVildungia coquitur; in tota namque regione haud ei similis reperitur. Eisenbürgum arx est, cuius fundus, quemadmodum etiam VValdungiensis, auri ac ferri prouentu felix est. In eodem loco & lapides isti carbonarij effodiuntur, quos lithanthraces, Germanicè Steinfolen vocant, non fabris ferrarijs tantum in officinis suis vtilis, sed qui etiam in domesticis focis lignorum ac carbonum vice esse possint. Eilhusium Septentrionem versus tribus à VValdeca miliaribus distans, arx est, quod ad situm eius, spectabilis satis, quam Urbis flu. mediam interluit. Corbachium vrbs est satis munita Neobürgum arx est adiuncta ciuitate. Ithra arx est: VVerba autem cœnobium. Qui hanc tabulam primus descripsit & edidit, Iodocus Moers à Corbach duos nobilium ordines sub Comite VValdecchio enumerat, vnum liberum intra Comitatum commorantem; alterum tam extra quam intra Comitatum feudo Comiti astrictum. Hos ergo ordines, cum nihil præterea habeam; hic adnumerabo; & quæ illorum domus tabulæ insunt, indicabo; Stemmata Nobilium liberorum intra Comitatum sunt Birmunt/Meissenburg/Sogreben/Zergen/Bolmerichhausen/Dalwig/Eppe/Rodehausen/Neen/Schonstadt/Heringhausen/Ewist/Hanxtleden/Greifmar/Roman/Dorfelt. Stemmata feudatariorum tam extra quam intra Comitatum sunt Wiststein/Rnit esel/Spiegel/Salenberg/Wessfal/Canstein/Walspurg/Ebenstein/Wengerson/Weschede/Beinenburg/Papenheim/Wulfe/Volckenberg/Juden. Quod ad dignitatem officij Imperialis attinet, inter quatuor seruos seu milites Imperij Comitatus hic primus numeratur, sunt enim: Waldect/Hirten à Fulchen/Arnsperg/Nabnaw. Ab Oriente Comitatus hic Hassia terminatur, à Septentrione Episcopatu Paderbornensi, Occidentior autem pars diœcesim respicit Coloniensem.

COMITATVS WALDECK ACCVRATE DE SCRIPTVS

Comitatus hic Waldeccensis
partem capite flumine, eamque frugiferam
ac flumis permixtis irriguam, quoru
cipus est Edras, sicut pascuis, cum et au-
riferi esse predicatur. Vini ac fructifera
max est haec regio. habet et argentum meta-
ly, argenti vini, plumbi, et aluminis sidmas
fontes etiam acidos habet. Prae Edra in-
regum arcem lapides isti carbonary quoque
s' fiduciam Dno hac, a metropoli in ea ad
Waldeck cor. sua sua nomen retinens, inter
4 Imperij nites primas tenet, habetq; sub
se complures Nobilium ac Feudatiorum
familias.



Miliare vnum Waldecciu

